

tō magis vniuersus ille conuiualis luxus, to-
 tius morborum Iliadis, aut si quis malit chi-
 liadis, causa extiterit. vbi non tantum vine
 potus modū excedit, qui minore negotio for-
 tē discuteretur: sed alimenta quoque varia
 crassaque & cū ijs condimenta, quæ medi-
 camentorum instar corpora nostra afficiunt
 (Frigida concertant calidis, humētia siccis)
 in vnam omnia massam, & cruditatis mor-
 borum fœcundissimæ parentis fomitem coa-
 ceruātur. Verum hæc ego submonuisse con-
 tentus, reprehendenda accuratius & maio-
 re apparatu alijs relinquo. Quòd si viri in-
 dignitate aliqua cōstituti, & cæteris ad imi-
 tationem vitæ exēpla proposui, cū qui rem-
 pub. moderātur, tum qui religionis mysteria
 docent, in cōuiuiorum luxu plus moderatio-
 nis adhiberent, ne illi et sibi primum consu-
 lerēt melius, & à populo eandem frugalita-
 tem impetrarent facilius.

DE VENÆ SECTIONE,
 contra Ephemeridum astrologicarum
 notas.

Nostri homines pleriq; rē sanitatis tuen-
 da,